877
188



QUÆSTIO MEDICA
CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS
MANE DISCUTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORUM,
Die Jovis 16. Martij.
M. ROBERTO RAOULT
DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An senibus, meri potio insalubris?

I.

CERTIS eunt cuncta temporibus, nasci debent, crescere, extingui; tutissimus vitæ portus mors est, una omnibus, nec ullâ superabilis arte; Juvenibus in propinquo; Senibus in limine: Hujus non alia, quam & ipsius vitæ origo, discors primordiorum, ex quibus constat omne vivens, concordia, aut potiùs concors, in viventis perniciem, illorum discordia, quæ non antè desinit, quàm priùs ex istis non minùs morborum, quam corporum elementis, impari prælio invicèm pugnantibus, unum fiat aliquando superius, ac cætera

vincat : Huic accedit & alia non levior causa, insiti scilicet caloris efficientia, qui eâdem manu suum fovet subjectum ac destruit; & dùm salutarem humorem furtìm, sed avidiùs carpit, se ipsum quoque perimit, & quem sui occasum non intendit, eum tamen conficit; ita ut, qui auctor est vitæ, idem sit & necis.

II.

PUNCTUM igitur est quod vivimus, & adhuc puncto minùs; hoc tamen minimum, specie quâdam longioris spatii, natura divisit: Hujus decursu insignes in nobis fiunt temperamenti mutationes, unius caloris nativi humidum primegenium depopulantis soboles : Hæ certis quibusdam annorum intervallis demensæ, varias constituunt ætates: Prima omnium Infantia, calidissima & humidissima; suo sequuntur ordine Pueritia, Pubertas, Adolescentia, Juventus, constans suique matura ætas, & Senectus, quæ universìm lassæ non fractæ ætatis nomen est ; hæc enim triplex, cruda seu viridis, ingravescens, & decrepita, omnium frigidissima ac siccissima; quò enim quis suis primordiis propior, eò magis eorum naturam redolet, ac proinde calidior & humidior; ætatis progressu, frigidior semper ac siccior evadit; donec sequatur interitus, nullo ærario redimendus.

III.

RES est cuilibet optabilis mori suâ morte (intelligo ex naturæ necessitate) hanc accelerare (quasi ignaviùs) venientem, nec expectare illum vitæ exitum, quem natura decrevit, insanientis est, furorque est ne moriare, mori: In hanc incidunt insaniæ speciem, & vitæ supplicium non inveniunt, sed faciunt,

qui ſpreto ætatum diſcrimine, cibum, & maxime potum quemlibet aſſumunt; cujus ut longè major quam cibi neceſſitas, ſic & vis multò ſuperior: Sua cuilibet ætati peculiaris eſt potio; omnis, aqua eſt, vel vinum; illa, omnibus animantibus communis; hoc nonnullis proprium: Idque triplex, cereale, fructuarium, & vitis, quod ſolum vini nomen meretur: Cereale, Meſenterij vias ſuo lentore & craſſitie ſæpiùs impedit; fructuarium, nimiâ humiditate excrementitiâ refertum, eoſdem quoque meatus ſtipat & obſtruit; hinc utrumque homini cujuſlibet ætatis inſalubre.

IV.

NULLI pariter ætati ex toto vinum & aqua utilia ſunt; medicamentum utrumque eſt, cum invicem aſſumitur: aqua mera, quam vocant ſapientiæ fomitem, tardè permeat, diutiùs moratur in Hypochondriis, ac ſæpius morandi cauſam, ductuum obſtructionem amovere non valet; vino temperata, alimentorum coctionem juvat, facilem diſtributionem promovet, ſitim efficaciùs reſtinguit, ac exæſtuans corpus voluptate frigoris citiùs perfundit: Vinum ſincerum, voluptatis, non neceſſitatis potus, ſui amantiſſimis clàm jugulum petit, univerſum quippe corpus adeò ſubtilitèr & latentèr inficit, ut non tàm videas, quàm perſentias injuriam: Pueros debito privat incremento; Adoleſcentes, Juvenes, Viroſque ſui maturos, reddit furioſos, & ad iram ac libidinem maximè proclives.

V.

IS eſt omnium ferè hominum error, ut credant, merum eſſe, ſi non immortalitatis, ſaltem ſenij Phar-

0'88

macum; Senes (ſibi & aliis moleſtos) recreare; graves eorum eluere curas; diſcutere mœrores; paulò duriores emollire mores; ac tandem efficere, ut poſitâ humorum feritate, ſenſum majorem induant humanitatis: Hæc reverâ præſtare valet vinum, multâ aquâ dilutum non meracum; illud enim ſopitos & languentes Senum ſpiritus animat, defæcatiores reddit, & familiarem ipſis ſoporem (mortis proximæ prænuntium) Mercurij virgæ adinſtar diſcutit; hoc verò, mentem & ſenſus conſopit omnes, durum ex ſe, contumax & coctionis impatiens, debilem coquendi vim eludit; igneo, quo pollet ardore, ſalutarem partium humorem, vivifici caloris nutrimentum, helluatur; & ſic, ſuperſtitem in Senibus caloris innati ſcintillam præmaturè extinguit.

Ergo ſenibus, meri potio inſalubris.

Aſſerebat Lutetiæ FRANCISCUS AFFORTY, Pariſienſis. A.R.S.H. MDCLXXIII.

PARISIIS,
Ex Typographiâ FRANCISCI MUGUET, Regis & Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Typographi, viâ Citharæ.